

fr. 91,6.

B. Chr. Fr. Boemen

II, 217.

De reformat. Lipsiens. propter doctarum A. T. petti-  
nariam difficile progessu.

YC  
6072

**RECTOR**  
**ACADEMIAE LIPSIENSIS**  
**SECVLARE SACRVM**

IN HONOREM

**DEI T. O. M.**

OB ECCLESIAM

X 2311200

**DIVI LVTHERI**

MINISTERIO

IN SAXONIA NOSTRA INSTAVRATAM

POSITIS ANTE HOS DVCENTOS ANNOS

AVSPICATISSIMI OPERIS INITIIS

BENIGNEQVE ADHVC NOBIS CONSERVATAM

SALVTAREM DOCTRINAM

D. XXXI. OCTOBRIS ET SEQV. DIEBVS

SOLEMNI RITV

**CELEBRANDVM**

INDICIT.



ΕΥΛΟΓΗΣΜΕΝ  
ΤΟΝ

ΘΕΟΝ

ΚΑΙ ΑΥΤΩ ΕΞΟΜΟΛΟΓΗΣΩΜΕΘΑ  
ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΣΥΝΗΝ ΔΙΔΩΜΕΝ ΑΥΤΩ  
ΚΑΙ ΕΞΟΜΟΛΟΓΗΣΩΜΕΘΑ ΕΝΩΠΙΟΝ ΠΑΝΤΩΝ ΤΩΝ ΖΩΝΤΩΝ  
ΠΕΡΙ ΩΝ ΕΠΟΙΗΣΕ ΜΕΘ' ΗΜΩΝ.

ΑΓΑΘΟΝ

ΤΟ ΕΥΛΟΓΕΙΝ ΤΟΝ ΘΕΟΝ  
ΚΑΙ ΥΨΟΥΝ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΑΥΤΟΥ  
ΤΟΥΤΕ ΛΟΓΟΥΣ ΤΩΝ ΕΡΓΩΝ ΑΥΤΟΥ ΕΝΤΙΜΩΣ ΠΙΠΟΔΕΙΚΝΥΟΝΤΕΣ.  
ΜΥΣΤΗΡΙΟΝ ΓΑΡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΚΑΛΟΝ ΚΡΥΨΑΙ  
ΤΟ ΔΕ ΕΡΓΟΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΑΠΟΚΑΛΥΠΤΕΙΝ  
ΕΝΔΟΞΟΝ.

---

B E N E D I C A M V S

D E O


ET GRATIAS EI AGAMVS  
ET MAGNIFICENTIAM EI TRIBVAMVS  
ET CONFITEAMVR CORAM OMNIBVS VIVENTIBVS  
QVAE FECIT NOBIS.

BONVM EST

BENEDICERE DEO

ET EXTOLLERE NÖMEN EIVS  
OPERA IPSIVS HONORIFICE COMMÉMORANDO.  
NAM REGIS QVIDEM ARCANVM CELARE EXPEDIT  
AST DEI OPVS CELEBRARE VERE GLORIOSVM  
EST.

---



**R**ego adest, proximeque  
nunc instat *dies secularis*,  
qui cum maximi bene-  
ficii a DEO T. O. M.  
nobis dati memoriam  
renouat, tum etiam so-  
lemnem maxime diuinæ  
benignitatis commemo-  
rationem jure quodam  
suo deposcit. Nempe futurus ille *primus ac tri-  
gesimus Octobris* dies est, quo, ante hos ducentos  
annos, ejus Reformationis jacta sunt fundamen-  
ta, qua collapsa religio redintegrata, coelestis do-  
ctrina a sordibus maculisque, quas superiorum  
temporum injuria contraxerat, repurgata, cor-  
rupta morum disciplina emendata; qua, reje-  
ctis fabulis decretisque humanis, VERBO  
DEI sua auctoritas atque maiestas, relegata su-  
persti-

perfitione ac idololatria, diuino cultui antiquus  
nitor atque puritas, conscientiarum denique ty-  
rannide expulsa, Ecclesiae CHRISTI pristina li-  
bertas postliminio reddita est ac restituta. In-  
gratissimi omnium essemus, nisi haec tanta tam-  
que excellentia bona, LV THER I, Sociorum-  
que opera, diuinitus nobis concessa, vt alias  
semper, ita hoc maxime tempore, honorifice  
praedicare, ac prolixa pietatis facta significatio-  
ne, DEO, qui haec nobis otia fecit, vt a seruitu-  
tis iugo liberati, ipsum *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ*  
adorare queamus, gratias, quas deuotissima  
mens concipere potest, maximas agere institue-  
remus. Indigni essemus, qui hac felicitate, qua  
per plura olim secula orbis caruit, hodieque  
maxima pars caret; felicitate illa, quam, vt Ec-  
clesiae suae indulgeret DEVS, ardentissimis vo-  
tis atque desiderijs, suspirijsque, precibus, ac  
omnibus denique modis precati sunt, partim  
quoque diuino instinctu afflatuque praedixerunt  
insignes illi, qui ante Reformationem extitere,  
VERITATIS TESTES, perfrueremur, nisi  
exquisitissimo gaudij sensu perfusi, laetitiae no-  
strae nunc publica quoque documenta dare-  
mus. Quodsi igitur pii maiores nostri, primis  
centum annis, ab ipsis Reformationis incunabu-  
lis, exactis, Seculare Sacrum solemnique festoque  
ritu

ritu celebrarunt, ejusque celebritatis memoriam  
ampliffimis monumentis consecrarunt, illorum  
certe progeniem exemplum imitari decet, di-  
gnumque et iustum est, vere dignum et iustum  
est, aequum et salutare, vt et nos, centum ite-  
rum elapsis annis, DEO SALVTIS NO-  
STRAE STATORI AC SOSPITATORI  
SVMMO, ob salutarem Euangelii doctrinam,  
LVTHERI ministerio, reparatam, indulgen-  
tissimeque adhuc conseruatam, grates persol-  
uendo, laudes ejus celebrando, ipsique, vt hanc  
felicitatem nobis ac posteris quoque nostris per-  
petuam esse jubeat, demississime supplicando,  
Seculare agamus Festum. Cumque in hoc ipso  
apparando omnem fere Ecclesiarum, tum Aca-  
demiarum et Scholarum, quotquot sacris gau-  
dent emendatis, curam cogitationemque nunc  
occupari constet, et in hac nostra quoque  
civitate hodie solemnia publice indicantur,  
quae isthoc nomine per vniuersam Saxoniam  
peragenda sunt, in communis laetitiae societa-  
tem vltro libenterque venit *Alma Mater, Aca-*  
*demia Lipsiensis*, ac suam etiam pietatem gratis-  
simamque mentem DEO publice solemniter-  
que declarare gestit. Neminem quidem rerum  
nostrarum adeo ignarum esse arbitramur, vt ne-  
sciat, quanto opere maiores nostri, sub initium

Reformationis, restiterint repugnarintque contra veritatem, quantumque temporis effluxerit, priusquam *Philyrea* nostra Euangelii luce collustrari sese pateretur. Nameo tempore, quo LV-THERVS in vicina Academia Wittembergensi, quam Sapientissimus Princeps, FRIDERICVS Saxoniae Elector, recens condiderat, Theologiam publica auctoritate profitebatur, diuinitusque ad detestandam illam indulgentiarum nundinationem impugnandam excitatus, coeptum hoc modo Reformationis opus, hinc coelesti doctrinae aduersa Curiae Romanae placita solide redarguendo, mysteriumque iniquitatis manifestando, illinc verae Religionis Christianae capita ἐν ἀποδείξει πνεύματ<sup>ος</sup> καὶ δυνάμεως declarando, Numinis consilio auxilioque strenue persequebatur; nostrates Theologi, non aliam, quam quae PETRI LOMBARDI Sententiarum Libris continebatur, Theologiam, tricarum nugarumque plenam, edocti, sacrarum autem litterarum rudes prorsus atque imperiti, Flaminique Romano coeco obsequio addicti, vna cum monachis, pro inueteratis erroribus ac superstitionibus contra nouam, quae ipsis videbatur, LVTHERI doctrinam declamabant, & tanquam pro aris focusque certabant. Non grauabimur sententiarios istos, egregios scilicet, doctores

ctores nostros, qui, cum LVTHERVS Wittembergae diuinum illud Reformationis opus aggrederetur, Lipsiae Consilio Facultatis Theologicae assidebant, alibi ordine haud memoratos, hoc loco nominatim referre. Erant illi: D. MATTHAEVS DAMERAVIVS, Prenzlauiensis, Facultatis Decanus, idemque Collegii Maioris Princ. Collegiatus; D. PAVLVS SCHILLER, Plauia Variscus, Collegii Maioris Collegiatus; D. MATTHAEVS HENNIG, Haynensis, Collegii Maioris Collegiatus; D. MARTINVS MEYENDORN, Hirschbergensis, Collegii Maioris Collegiatus; D. MAGNVS HVNDT, Magdeburgensis; D. HIERONYMVS DVNGERSHEIM de Ochsenfurt, Collegii Maioris Collegiatus, et Cizensis Ecclesiae Canonicus; D. VDALRICVS PFISTER, ex Franconia, Plebanus ad D. Nicolai, Ordinisque Canonicorum Regularium S. Augustini ad D. Thomae Canonicus ac postea Praepositus; D. GEORGIUS DOTTAVIVS, Meinungensis, Coll. Min. Collegiatus; D. PAVLVS SWOFFHEYM, Gorlicensis, Coll. Mai. Collegiatus, & D. HERMANNVS RABE, de Bamberg, Ordinis Praedicatorum Coenobii D. PAVLI Provincialis. Hi igitur nostri Doctores, pravis, quibus imbu-

ti

tierant, opinionibus mordicus inhaerentes, consilioque & auctoritate ADOLPHI, Principis Anhaltini, Episcopi Martisburgensis, et Vniuersitatis Lipsiensis Cancellarii, suffulti, doctrinae diuinoris in vicina Academia exorienti luci vehementer sese opponebant, obfirmatisque aduersus veritatem animis, eandem ore scriptisque impugnabant, ac omnem operam in id conferebant, vt Evangelium hac ciuitate arcerent, ac omnes ei aditus praeccluderent, populumque in obsequio Papae retinerent. Id quod ex voto consecuti videbantur, postquam GEORGIVM, Saxoniae Ducem, Thuringiae Misniaeque tunc imperantem, Episcopi, Misnensis, Martisburgensis, ac Numburgensis, tum maxime PAVLVS AMNICOLA, Veteris Cellae S. Mariae prope Fribergam Abbas, et D. HIERONYMVS EMSERVS, qui Secretarii munere apud Principem fungebatur, ita fascinauerant, vt nec ipse salutarem doctrinam admitteret, nec in suas regiones afferri illam pateretur. Secunda quidem aura aliqua Lipsiam nostram initio statim afflabat, cum, anno millesimo quingentesimo decimo nono, mense Iunio, LVTHERVS vna cum D. ANDREA BODENSTEIN, seu, vt ipse a patria dici maluit, CAROLOSTADIO, a D. IOHANNE ECCIO, Ingolstadiense  
Theo-



Theologo, ad solemnem Disputationem huc e-  
uocatus, nequicquam renitentibus ADOLPHO,  
Episcopo Martisburgense, atque Vniuersitate,  
vrbem ingrederetur, inque amplissimo frequen-  
tissimoque confessu, praesente GEORGIO  
Duce, praecipua purioris doctrinae capita, per  
continuos vndecim dies, contra Sophistam, Ver-  
bo DEI munitus, fortiter praeclarissimeque, te-  
stantibus Colloquii Actis, grauisimoque, qui ei  
interfuit, idque ipsum eleganti oratione exorsus  
est, viro, PETRO MOSELLANO, Graecarum  
Litterarum Professore, defenderet, sacrique re-  
gni, a Papa affectati, fundamenta firmisimis ar-  
gumentis conuelleret destrueretque. Sed enim-  
uero, abrupta Principis iussu Disputatione, &  
LVTHERO cum sociis, CAROLO STADIO,  
qui et ipse cum ECCIO disputauerat, ac PHI-  
LIPPO MELANCHTHONE, dimisso, mox om-  
nis Reformationis in hac ciuitate spes euanuit.  
Nostri enim, ac inter ceteros praecipue HIERO-  
NYMVS DVNGERSHEIM, praepostero af-  
fectu ECCIANIS partibus vnice fauentes,  
internecinoque odio in LVTHERVVM concita-  
ti, iam multo magis, quam ante, fremere, con-  
uitiis calumniisque Viri optimi famam lacerare,  
inuectivis in ipsum inuadere, Principisque  
animum satis iam exacerbatum magis magisque

b

incen-

incendere, ac in LVTHERI quoque fautores,  
Euangeliique amantes instigare. Non iuuat  
temporum illorum, quas Annales Lipsienses  
memorant, iniurias recordari, eiusque meminisse  
rabiei, qua per plures annos in Academicos  
pariter atque ciues, Sacrorum emendatorum  
desiderio flagrantes, saeuitum fuisse constat.  
Illud potius longe gratissimum acceptissimumque  
nobis cogitatione et mente completimur  
tempus, quo et Academiae huic, et ciuitati,  
et vniuersae patriae, auspiciatissima Euangelii  
lux pleno splendore affulsit, crassissimasque,  
quibus adhuc obscurata erat, erroris atque  
superstitionis tenebras disiecit penitus ac dissipavit.  
Accidit id ipsum post annos demum, ab initiis  
Reformationis Wittembergae positis, viginti ac  
fere duos, anno nimirum seculi XVI nono atque  
trigesimo. Quippe eo anno, Duce GEORGIO  
vita functo, qui in CHRISTI eiusque crucifixi  
solo eoque perfectissimo merito vnice acquiescens  
obdormiuisse, adeoque in extremo vitae  
suae LVTHERI doctrinae reconciliatus fuisse  
narratur, cum relictæ ab eo prouinciae,  
Misnia atque Thuringia, adeoque etiam illius  
ocellus Lipsia nostra, ad HENRICVM Fratrem  
haereditario iure peruenissent, hic a DEO  
datus piensissimus Princeps, felicissimusque Electo-  
rum,

rum, MAVRITII atque AVGVSTI, Parens;  
cui coelestem veritatem vnice curae cordique  
fuisse, praeclarissima ipsius dicta factaque loquun-  
tur, nihil prius, nihilque antiquius habuit, quam  
vt inaeſtimabili hoc aeternae salutis thesau-  
ro nouos ſubditos ſuos impertiret, et laudabili  
IOSIAE, Iudeae olim Regis, exemplo *Εδελύματα ἀνομίας* ex regionibus, in fidem atque  
clientelam ſuam receptis, auferret, domumque  
DEI ab idolis repurgaret. Ad quod ſalutare  
opus conficiendum mox Lipſiam accerſiuit LV-  
THERVM, qui circa Feſtum Pentecoſtes, cla-  
riſſimorum Theologorum, PHILIPPI ME-  
LANCHTHONIS, IVSTI IONAE, GEOR-  
GII SPALATINI, CASP. CRVCIGERI,  
FRID. MYCONII, et IOH. PFEFFINGE-  
RI, choro ſtipatus acceſſit, incredibilique ci-  
uium plauſu et acclamatione exceptus, in ipſa  
quidem vigilia coram Electore IOHANNE FRI-  
DERICO ac Duce HENRICO in aede arcis;  
ſequenti autem die, tota ciuitate confluente, in  
templo D. Nicolai oppidano, quod matutinis  
ſacris inſtaurauerat IONAS, Evangelium  
CHRISTI ſincerum atque incorruptum praedi-  
cavit. Ita vero coeptum in vrbe Reformatio-  
nis negotium admirabili ſucceſſu, diuina adſpi-  
rante gratia, continuatum eſt, tandemque etiam

veritati cessit Academia, eiusdemque anni trigesimi noni duodecimo die Augusti, praestantissimis viris, IONAE, SPALATINO, CRVCIGERRO atque MYCONIO, cum duobus nobilibus ab HENRICO Duce ad id delegatis, solemne et quatuor nationum, in quas diuisa est Vniuersitas, communi suffragio sancitum hoc dedit responsum: Se salutari CHRISTI et Apostolorum doctrinae, in Augustana Confessione eiusque Apologia clare perspicueque expositae, ore animoque adstipulari, eandemque deinceps docendo, legendo, disputandoque constanter asferturam. Ab hoc igitur tempore renatam quasi se sentiens nouam plane eamque pulcherrimam faciem induit *Philyrea* nostra, moxque sapientissimis Serenissimorum Saxoniae Electorum, MAVRITII atque AVGVSTI, constitutionibus denuo fundata, tum vero munificentissimis eorundem donationibus mirifice exornata, purioris doctrinae ac religionis genuina sedes, diuinarum humanarumque legum fidelissima custos atque conseruatric, ac omnidenique sapientiae et humanitatis iucundissimum domicilium ad hunc vsque diem constanter permansit. Cuius adeo felicitatis suae Auctorem DEVM omni tempore et omni occasione grata mente praedicare, sui officii esse iudicat.

iudicat *Alma Mater*; sed et in praesenti hac totius Ecclesiae Evangelicae solemnitate seculari luculentiora suae erga DEVM pietatis monumenta sibi statuenda esse arbitratur. Vt autem omnibus, quorum scire illud interest, constet, quoritu, quoque apparatu Festum isthoc Seculare celebrare nobis constitutum sit, id ipsum publica hac scriptione duximus significandum.

Die igitur XXXI Octobris, quem LVTHERI Disputatio, ante hos ducentos annos aduersus Indulgentias Papales proposita, praecipue nobilitauit, *biduoque sequenti*, Sacra publica, precibus, hymnis, concionibusque, Festo huic conuenientibus, in templo nostro Academico peragenda sunt. Grata hic mentem subit recordatio insignis eius beneficii, quod, maioribus nostris denegatum, nobis demum concessit Benignissimum NVMEN, vt in amplissima illa Diuo PAVLO dicata aede, quae, vna cum coenobio, Fratrum olim erat Ordinis Praedicatorum, ac ipsorum superstitioni inseruiebat, quamque, sub ipsis emendatae penes nos religionis primordiis, vti et ipsum monasterium, aliaque plura, Vniuersitati clementissime donauit MAVRITIVS, augustae memoriae Princeps, diuino cultui singulis diebus dominicis atque festis vacandi nobis sit potestas. Primis quidem iam temporibus, postquam derelictum a monachis D.

PAVLI coenobium, vt Academiae traderetur, precibus suis obtinuerat, cuius apud nos merita in illustri, quodque nulla vnquam conficiet consumetque vetustas, posita sunt monumento, D. CASPAR BORNERS, Haynensis, Theologiae Professor, in hac ipsa quoque aede a *Εδελύμασι* Papalibus repurganda, eademque diuini cultui adornanda multum laboris atque operae impenderat; imo cum paulo post, quod ab eodem memoriae proditum habemus, anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, LVTHERVS forte hac transiens apud CAMERARIVM hospitio diuertisset, huius et amicorum hortatu, Summus ille Vir in ea, maximo cum hominum concursu, concionem habuit, hacque re *Paulinam* Verbo Domini ad similes vsus consecrauit. At enim nobis demum, anno seculi huius decimo, singularis haec gratia obtigit, qua, quod maiores nostri frustra desiderarunt, publicum cultum in hoc templo instituere licuit, vt adeo, hoc etiam festo seculari, ad laudes DEI celebrandas, concionesque sacras audiendas, cum populo laetante in id conuenire queamus.

Sed ut eo, vnde paulisper diuertimus, redeamus, *die III. Nouembris*, qui festum, nobis cum ciuitatis ac totius Saxoniae Ecclesiis commune, proxime insequitur, post horam IX. ante meridianam

nam, in eadem aede Paulina, in quam, facta ex  
facello templi Nicolaitani solemnī processione,  
nos conferemus, oratio panegyrica carmenque  
seculare recitabuntur, tum et oda secularis mu-  
sica arte decantabitur. Oratoris partes deman-  
dauimus Collegii nostri Theologici hoc tempore  
Decano, D. CHRISTIANO FRID. BOER-  
NERO, Theol. P.P. O. et Canonico Cizensi, qui  
DEI O. M. in Ecclesia sua, seculo praeterlapso, in  
his maxime terris conseruanda prouidentiam  
commemorabit; Poetae autem munere defun-  
getur Dn. LVDOV. CHRISTIAN. CRELLIVS,  
S. Th. L. et Philosophiae Primae atque Rationa-  
lis Publicus Professor.

*Die IV. Nouembris*, hora IX. gratiam beni-  
gnitatemque DEI, Reformationis opere nobis  
praestitam, emendato hac occasione statu Im-  
perii publico, oratione graui disertaque in Audi-  
torio Petrino praedicabit Magnificus Ill. Faculta-  
tis Juridicae Ordinarius, Dn. LVDERVS MEN-  
CKENIVS, IC. Augustissimi Polon. Regis et Sax.  
Elect. Consiliarius, Decretaliumque Prof. Publ.

*Dies V. Nouembris* Disputationi Theologi-  
cae destinatus est, qua Vir Magnificus ac Summe  
Reuerendus, Dn. D. IOHANNES CYPRIA-  
NVS, Th. P. P. O. et Canonicus Misenenfis, Fun-  
damentum Ecclesiae Euangelicae vnicum, cla-  
rum, infallibile, horis antemeridianis tuebitur at-  
que defendet.

*Die*

QXVc 6072

Die denique VI Nouembris, Vir Excell. Dn. D. IO H. BVRCH. MENCKENIVS, Potentissimi Regis nostri Confiliarius et Historiographus, itemque Historiarum Prof. Publ. oratione de eo, quantum emolumenti religioni attulerit bonarum literarum instauratio, in Maioris Collegii Auditorio hora IX habenda, sacra haec Secularia nostra finiet.

Ceterum Summum atque Immortalem Ecclesiae Evangelicae Praesidem, ac omnis salutis nostrae Autorem, Dato-rem, Conseruatorem, IESVM CHRISTVM, supplici prece oramus atque obtestamur, vt, quae ipsius honori decreuimus, deuotissimae pietatis monimenta, grata et accepta sibi habeat, vt gaudium nostrum seculare nulla aduersitate turbari patiat-ur, vt vota nostra, quae pro Ecclesiae, tum et Academiae nostrae perenni felicitate atque incolumitate, pro AVGVSTISSIMO REGE, pro SERENISSIMO PRINCIPE REGIO, SAXONICIQVE ELECTORATVS HEREDE, *Spe Patriae Desideratissima*, pro Inelyta Domo Saxonica facturi sumus, benignissime exaudire velit. *Vtriusque autem Reipublicae Proceres Grauissimos Amplissimosque*, vt praesentia sua exoptata, solemnia haec nostra exornare, ac Orationibus inprimis, dicto tempore, interesse haud dedignentur, officiosissime rogamus. Inuitamus vero etiam ad hanc *πανήγυρον*, pia mente gaudioque conueniente celebrandam, *Generosissimos, Nobilissimos, Praestantissimosque*, qui diuinae humanaeque sapientiae in hac Musarum sede diligentem operam nauant, *Iuvenes Studiosos*; eosdemque, vt nobiscum in DOMINO, DEO NOSTRO, gaudeant, laentur, exultent, paterno affectu cohortamur. P.P. LIPSIAE, die XXIV. Oct. Dominica p. Trinit. XXII. Anno a CHRISTO nato MDCCXVII. Anti-


christo manifestato CC.

LITERIS IMMANVELIS TITII.

75







*h. 91, 6.*

*D. Chr. Fr. Boemen*

*II, 217.*

*De reformat. Lipsienf. propter doctorem A. T. petti-  
nacionem difficile progressu.*

YC  
6072

**RECTOR**  
**ACADEMIAE LIPSIENSIS**  
**SECVLARE SACRVM**

**IN HONOREM**  
**DEI T. O. M.**

**OB ECCLESIAM**

X 2311200

**DIVI LV THERI**

**MINISTERIO**

**IN SAXONIA NOSTRA INSTAVRATAM**

**POSITIS ANTE HOS DVCENTOS ANNOS**

**AVSPICATISSIMI OPERIS INITIIS**

**BENIGNEQVE ADHVC NOBIS CONSERVATAM**

**SALVTAREM DOCTRINAM**

**D. XXXI. OCTOBRIS ET SEQV. DIEBVS**

**SOLEMNI RITV**

**CELEBRANDVM**

**INDICIT.**

